



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Tertia [i. e. Sexta], de Rhetorica disce[n]da, qua[m] habuit in gymnasio
Societatis Iesv Romae: cùm scholae Rhetoricae praepositus, ad
explicandos M. Tullij de Oratore libros aggrederetur, Pridie ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

perij saluos & incolomes conserua: ut expe-
riamur qui te colimus, quantum gratia va-
leas apud opificem omnium rerum & gu-
bernatorem. At tu mundi effector & moli-
tor Deus, cuius maiestatem atque numen in
Sanctis veneramur: cuius immensam am-
plitudinem illorum vita, mors, gloria ma-
xime ostendit: tu, sanctissime pater, audi
Elisabethæ preces, tibi pro nostra salute
supplicantem ne excludas, & omnibus qui
cuius facta cognouimus, eam mentem iniice
ut diligentissime persequamur imitando:
quod huius miseræ vitæ curriculo confecto,
ad eandem metam peruenientes, sempiter-
nam coronam, tuo munere & concessu ca-
piamus.

PETRI IOANNIS

PERPINIANI,

De arte Rhetorica discenda.

ORATIO VI.

Spectatum satis & donatum iam rude quaris
Mœcenas iterum antiquo me includere ludo,
Non erdem est astas.

LIcet enim mihi, Patres religiosissimi,
versibus isdem affari auditores meos,
quibus affatur Mœcenatem suum ille bonus

R. 2

Poëta, non eâdem religione, neque iisdem
præceptis imbutus, quibus nos sumus, sed
eruditus tamen, & urbanus, & leporis cuius-
dam nō ingrati plenus. Tametsi & sentio &
fateor neque in me esse quidquam hominū
cognitione dignum, neque rudem vñquam
ignarum gladiatorem meruisse: verū &
hoc, quidquid est vel ingenij, vel doctrinæ,
quod video quām sit exiguum, tot annorū
çurriculo satis supérque cognosci potuit,
& ludo nostro præfecti, homines mites &
humani, me, quamuis non merentem, opta-
to otij & tranquilitatis præmio donandum
esse censuerunt: nec fortè iniuria: nam si ve-
teri gladiatori, fixis armis ad valvas Her-
culis, in agrum secedere licebat, ne populi
misericordiam, quam sæpe iā esset in arena
consecutus, denuò efflagitare cogeretur;
mihi certè tantò meliorem artem factitan-
ti, qui tot annos fuisse in hoc oratorio
certamine versatus, toties depugnasse, to-
ties populi non modò veniam, sed etiam
benevolētiam obtinuisse, idem tranquil-
lioris vitæ recessus concedendus fuit, ubi
paulisper animus ex illo populari strepitu
recrearetur: at nunc siue studiis vestris, siue
eorum imperio, quibus patere debeo, siue
vtrisque ad antiquum ludum reuocatus, ec-
ce rursus in arenam descendere, arma iam

penè

penè rubigine confecta capere , multitudi-
nis gratiam aucupari cogor , si cogi dicen-
dus est is , qui libenter vel roganti morem
gerit , vel obtemperat iisperanti . Vrinam
adolescentes optimi , vtinam eadem esset ,
quæ quondam erat , vis corporis ad elabo-
randum; vt eadem mens est , eadē voluntas ,
idem studium , qnod séper fuit ad parendū:
minus mihi fortasse tam longo vti princi-
pio necesse fuisset : sed NON EADEM E S T
AT A S , non idem robur , non eadem valetu-
do ; quæ debilitata & fracta , animū quoque
ipsum imbecilliorem reddunt . Quare non
possum equidē non commoueri , cū illi pre-
sertim hodierno die succendā , cui ne si om-
nia quidem essent integra , me parem esse
posse considerem , quo mihi magis omnes
orandi & obtestādi estis , vt hanc mediocri-
tatem nostram , vel potius tenuitatem & in-
opiam , studio , alacritate , benevolentiaque
vestra adiuuetis : quas ego res si mihi non
deesse sensero , spero me diligentia cōpen-
saturum ingenij tarditatem . Quod si pere-
grina literarum appellatio & insolēs , atque
aliena vestris auribus grauium , acutarūque
vocum obseruatio , alicuius animū offēdet :
cum ego oro atque obsecro , ne priūs aut ri-
deat , aut reprehendat , quā cur ita quidque
dicatur acceperit : nihil enim erit , quod non

R 3

aut multò rectius aut nihilo certè depravatum magis esse demonstrem, quām quod homines politi & humani vulgò usurpant. Nunc antequam de Ciceronis libris quos explanandos suscepi, ea dico, quæ mihi vobis audientibus ex hoc loco dicenda esse arbitror, exponam breui quid de tota facultate dicendi, quam omnes quærimus; de artificio Rhetorico, quod profitemur; déque eius artificij tradendi ac discendi ratione sentiam: ut omnium studia vehementius inflammetur, & via cognita facile possitis quò intenditis, ac sine errore peruenire. Peto à vobis, adolescentes optimi, ut attentè & amicè accipiatis, quæ dicam, neque humanitatis vestræ fontes, qui omnibus ante me bonarum artium studiosis maximè semper patuerunt, mihi vni clausos esse patiamini: facultas est enim eiusmodi, quæ maximè debet animos omnium ad discendum impellere, sine quo neque hominum communis nomen cum dignitate obtineri potest, neque consilium sapiens ad populi salutem in medium proferri, neque religio a furioso hominum nefariorum impetu humaniopibus defendi; pro qua maiores nostri iisdem, quibus hostes eloquentiæ septi præsidiis fortissimè propugnauerant. Et quoniam omnibus nobis enitendum est, ut dignita-

gnitatē hominibus præter cæteras animātes diuino munere concessam, ornauisse potius & amplificasse, quām vel abiecisse, vel diminuisse videamus; adhibenda est vobis illa vis, & omni studio ac diligentia comparāda, quæ maximum & pulcherrimū Dei munus tuetur & exornat: quo neglecto, nō sanè video, quid inter mūtas belluas & homines intersit. Etenim duo sunt in nobis munera diuina, utilitate magna, nobilitate prima ipso genere præclara, ratio, & quasi nuntius quidā rationis & interpres, sermo. Illa res abditas investigat, inuestigatas cōprehendit, comprehensas digerit & componit; dissipata colligit, collecta diuidit, præterita recordatur, cernit instantia, futura coniectat, & extrema cōferens primis omnium rerum cursum, & euentorum consequentiam notat: sed hæc omnia veluti quibusdam obruta tenebris lateat, inclusa penitus in pectoribus & animis nostris: quæ ubi lumen orationis accessit, tum deīnum ab omnibus patetfacta & illustrata cernuntur; hæc duo sunt, quæ nos homines redundunt, hæc bestias longè nobis faciunt iuferiores, quæ tanta inter se naturæ cognatione iunguntur, ut animantia rationis experitia significare volentes, muta dicamus: rationem autem, ne fallatur neque erret, dif-

R 4

ferendi vis, quam logicam vocamus, infor-
mat:at orationem, quo sit aptior ad persua-
dendum, bene dicendi facultas, quam elo-
quentiam dicimus, verbis sententiisque lo-
cupletas. Quod si vix eos homines esse du-
simus, qui non studio & labore rationem
meliorem effecerunt, quis non ab hominū
societate remouendos illos arbitretur, qui
sermonē nō excoluerit, sine cuius luce illa
vis ingenij mirabilis eniteſcere non potest:
quis nō eos muta quædam hominū simula-
gra potius, quām homines appeler? quæ si
vobis adolescentes optimi, turpia, cōtume-
liosa, indignaque videntur, vt meritò debet
videri; statuite quē vobis animū pro cōmu-
ni hominum dignitate fuscipiendū putetis.
Quam multi vulgò summoperè cōtendūt,
vt excitent celeritatē pedum; quām mul-
ti omne suum studium & operā conferunt
ad augendum & confirmādum corporis ro-
bur; quām multis (quorum ego conditionē
miserrimam duco) toti sunt in pulchritudi-
ne formæ conseruanda & adornanda occu-
pati:atqui hæc & alia generis eiusdem, aut
longè meliora sunt in bestiis quām in no-
bis aut certè nobis communia cum illis:
nos verò quod omnino nostrum est, quod
hominū proprium nobis à Deo Opt. Max,
concessum ad viæ societatem, ad commu-
nionem

nionem iuris atque morum , ad mutuā vel
voluptatem, vel salutem negligemus ? non
exornabimus? non expoliemus? in obscuro
iacere atque obsolescere patiemur? Videte
ne , vt illi mundi creatori , & parenti Deo
gloriosum fuit, tantum nobis, & tam opta-
bile bonum impertiri: sic vobis turpissimum
fit, acceptum ab illo munus industria tue-
ri , & ornare non posse. Quid quod super-
bissimo fastidio mortalium rectè & sapien-
ter cogitata, nisi rectissimis verbis grauissi-
misque sententiis ad aures peruenient; ne-
que fidem faciunt; neque in hominū mentes
influunt; neque animos quidquā mouēt; ne-
que memoriam gratam habent, neque diu-
turnam? at quæ iucundè audiuntur, etiam si
non salutariter dicantur , ea sic arripiuntur
vt propè ad æternitatem inhærent in pe-
store infixa. Quod si idem & sapienter &
suauiter diceretur, quam assensionē homi-
num cōmoueret? quæ studia excitaret? quā-
tam efficeret admirationem? quam lētis
acclimationibus omnium acciperetur? aut
nulla profectō salus, reliqua est afflīcta, ac
prope desperatæ reipublicæ Christianæ; aut
hæc vna reliqua est (excipio semper auxi-
lia cœlestia , quæ firmissima & certissima
sunt de humanis tantùm opibus loqror)
aut igitur nullum iam in hominū industria

subsidiū est; aut hoc solum restat ē multis,
vt iidem & sapienter, & copiosè atque illu-
minatè dicant. Sunt enim pleraque religio-
nis nostræ decreta in specie inculta & hor-
rida, cōtra deprauatas multitudinis opinio-
nes à publico v̄su abhorrentia, huic corru-
ptissimæ naturæ, profligatissimisque mori-
bus omniū gentium maximè aduersa: quæ
nisi splendescant oratione, & tāquam exco-
lantur, & à populari sententia discrepantia
populariter dicantur; possunt illa quidem
diuinâ vi, quæ nō est indigens humanarum
artium, multitudini persuaderi, sed dicendo
tamē in vulgus probari nō possunt. Itaque
videre est eos, qui nullum sequuntur flo-
rem orationis, & Stoicorum more minutis
quibusdā interrogatiunculis quasi punctis,
id quod proposuerunt, efficiunt; ubi loci illi
inciderunt, de ab iudicandis facultatibus; de
propinquis & amicis relinquendis de oppe-
tenda morte, de contemnendis honoribus,
de voluptate fugienda; de amplectenda hu-
militate; de condonandis iniuriis, ita hære-
re, vt nescias, maiorēne odio digni sint,
quod suā sponte faciant, quod bene facere
non possint: an misericordiā, quod infan-
tiæ suæ miseri quamplurimos testes, non
domestico suorum, sed publico totius mul-
titudinis præconio colligere cōtentur. Vi-
tiosa

tiosa planè res est, & hominum generi valde perniciosa, non tam quid dicatur, quām quēmodo dicatur attendere. Sed quid cum populo agas? iam eò ventum est, ut nemo sit sola sapientia contentus, omnes eloquentiam requirant. Quando non possumus cæteros quales volumus habere, ne sit inanis omnis conatus noster atque labor, demus operam, vt simus ncs tales, quales illi volunt: volunt autem vītæ morūque magistrum esse non modò sapientem & probum, sed etiam copiosum & ornatum. Præclarè, vt mihi quidem videtur, sanctus Augustinus, nihil esse melius salubri suavitate, vel suavi salubritate, quodam loco testatus est, & è quatuor libris, quibus doctorem Christianum omni laude cumulatum instituit, vñ in eo consumpsit, vt rhetorico propè more, quēmādmodum inuenta sint in luce profienda, demonstrauit. Intelligebat ille vir eximia reconditāque doctrina & in hac ipsa dicendi facultate multūm exercitatus, quātum ea res momenti afferat ad hominum mentes vel à turpitudine reuocandas, vel ad honestatem impellendas. Non dicam in præsentia quantum eloquentia semper in omnibus liberis ciuitatibus dominata sit: prætermittam quanto in pretio fuerit apud omnes nationes; non enumerabo honores

&

& imperia hominibus eloquentibus, nullā
maiorum commendatione mandata: silebo
quantas pecunias nonnulla sint veterum
oratorum consequuti: ne verbum quidem
vnum de voluptate dicēdi faciam: hæc om-
nia facile patiar taceri apud tales viros, pro-
pterea quod vel ambitiosorum, vel auaro-
rum, vel delicatorum hominum sunt ma-
gis, quam eorum qui salutem Reipu. Chri-
stianæ omnibus & voluptatibus, & utilita-
tibus suis, & honoribus anteponunt: hoc v-
num de tota facultate dicendi extremo lo-
eo dicam, quod me & semper ad studium
incitauit, & apud vos homines amatiissimos
publicæ salutis plurimū valere debet, &
in animis omnium, qui rem Christianam
saluam volunt, fixum esse par est ad memo-
riam sempiternam: si ad tuendum hominū
nomen, atque ad animos multitudinis re-
stè de religione sentientis pertractandos,
nullus esset ysus eloquentiæ, qui certè ma-
ximus est: si nihil fructus haberet hæc exer-
citatio, neque ad honores adipiscendos, ne-
que ad augendas facultates, quæ non ma-
gnoperè debemus optare: si nulla esset dele-
ctatio dicendi, quæ tanta est, quantam vix
credere possint, qui non senserunt: tamen
quia magnam vim habet ad veritatem opu-
gnaadā, & aduersus religionem, admi-

pistra

stra s^epe ac satelles ab improbis adhibita
est, & adhibetur, sumnum studium, omnem
curam, operam, industriam in facultate cō-
paranda figi oporteret. Video mirari vos, a-
dolescentes optimi, eam à me caussam affer-
ri eloquentiæ complectendæ, quæ ad de-
terrendos homines ab hoc studio, vel sola
plurimum possit: quid enim est maiore ani-
mi prouisione fugiendum, quam quod veri-
tatis & religionis oppugnatoribus, quasi
quædam arma suppeditat? Accipite obse-
cro, accipite alaci ac prompto ore ac vultu
quæ dicam, & ea penitus mentibus vestris
animisque mandate; ipsi profectò fatebimi-
ni, illud ipsum nobis oprandum esse maxi-
mè quod vehementissimè nobis obstat.
Habet enim eloquentia vim talem, ut ea-
dem de re duas contrarias orationes expli-
re possit: ex quo δύο μέρες, id est facultatis
nomen accepit, non, ut quidam philosophi
ambitiosi tradiderunt, quod homines col-
locet τὸ διάφορον εξ οὐκοῦν hoc est in potesta-
te & excellenti dignitate: eadem vera refel-
lit & confirmat falsa & probabilia reddit &
arguit, turpia vituperat & laudat, honesta,
commendat & accusat. Atque ut cæteræ ar-
tes ac scientiæ omniaque vel externa, vel
naturæ bona: sic etiam vis eloquendi perin-
de est, ut ait comicus poëta, ut illius ani-
mus,

lius animus, qui eam possidet, qui uti scit, ei bona, illi, qui non utitur recte, mala. Nam quod nonnulli nobilissimi rhetores eloquentiam virtutem esse contendunt, neque posse nisi in bono viro reperiri, optandum quidem illud est, sed parum verum: si enim virtutem eam vocant, quae more perfecta, omnino bonos eos efficit, in quibus est, quid absurdius dici potest, quam eloquentiam hoc virtutis genere contineri? sin autem abutuntur virtutis nomine & absolutionem perfectionemque tantum cuiusque rei significant, est quidem Eloquentia virtus in ratione posita, ut omnes artes ac scientiae, sed cum hoc genus virtutis non simpliciter bonos homines reddat, verum cum adiunctione, ut bonos rhetores, bonos dialecticos, bonos philosophos, nihil id obstar, quo minus & eloquentiam improbi habeant, & eius viribus ad optimas quasque res labe factandas & evertendas abutantur. Velle fecisset ille omnia contuens & regens Deus, ut aliquantum minor existeret huiusmodi hominum multitudo, longe, certe, melius nobiscum ageretur. Ceterum quam multi apud maiores nostros incredibili audacia & furore perciti impias in Christum hastas non solum dialecticæ neruis, sed amentis etiam

etiam eloquentiae contorserunt? quām maliti nostra memoria perditi ac scelerati homines orationis copiā tantūm incendium excitauerunt, quantum nisi Deus nos respercerit, vix multis annis bonorum virtus & industria possit restinguere? etiam nunc improbitate quorundam eloquentium, & nefario conatu, omnia diuina & humana lura perturbantur, violantur, rescinduntur. Quid igitur est quod in tantis malis ad retiendam & frangendam eorum corroboratam iam vetustate audaciam, facere debeamus, veritatis & religionis amatores? hoc unum opinor: arma impiis & perfidiosis extorqueamus ē manibus, ut eisdem ipsi pertantur telis, quibus nos oppugnant: & quoniam in utramque partem valet copia descendī, ut eam hæretici transferunt ad Ecclesiam opprimendam, sic nos ad eandem fortiter defendendam conuertamus: illi callidē ac versutē sese insinuant in grauiam audientium & aditum sibi faciunt vel ad turpissimam causam, nos prudenter hominum nobis benevolentiam adiuncte, melius quam multi reprehendendos ipsorum errores: communiam viam illi, rem artificiosè narrant ad falso endum, nos idem artificium narrandi id homines falsā opinionē liberandos adhibe

De arte Rhetorica descendā,
hibeamus: illi argutē & veteratoriē nostra
refellunt, sua confirmant; nos limata & po-
lita disputandi subtilitate & orationis acu-
mine certissima patrum decretā compro-
bemus, illorum quasi delirantium somnia
coarguamns: illi variè mentes auditorum
versant & flectunt, simulata verborum &
sententiarum grauitate; nos veris integris-
que sententiis in omni amplificandi genere
exardescentes, grandi, forti, & incitata ora-
tione eorundem animos impellamus, ad
quemcumque causa postulabit motum: illi
pestiferum venenum tanta dicendi suauita-
te condunt, ut mortiferum poculum hau-
rire libeat audienti; nos remedia salutaria
dulcissimo quodam genere sermonis tem-
perata præbeamus; ut quantò magis verbo-
rum & sententiarum dulcedine delectetur
auditor, tantò ardentiore, salutiferæ potio-
nis cupiditate rapiatur: sic tandem, bene iu-
uante Deo, piōsque conatus cœlesti fauore
prosequente, fiet ut armata veritas nullo
negotio armatam vincat & iugulet falsita-
tem, cuius modò baccatis imperium iner-
mis & nuda ægrè sustinet: quamquam fieri
non potest, ut omnino veritas erroribus ob-
ruatur, quæ diuina ope sine dubio pulchior
aliquando & clarior elucebit. Verūm vos
cius alumni videte qui pro communis pa-
rentis

rentis incolimitate, vobis faciēdum existi-
tis. Maiores nostri singulari religione &
doctrinā viri, eloquentiæ copiis instructi,
nullam pro veritate dimicationem recusa-
bant: semper in campo, semper in acie, sem-
per in sole ac puluere versabantur: nos illo-
rum posteri, ne tantum sit adeundum, vel
periculi, vel laboris, abiectis armis in um-
bra atque in otio tempus omne confume-
mus: illi quo paratores essent ad certamē,
relictā patriā propinquis, amicis, orationis
locupletandæ & excolendæ gratiā, longin-
quas terras peragrarūt; nos yltron se offeren-
tem dicendi facultatem domo prohibebi-
mus; à nobis absterrebimus & excludemus:
illi res multas atque dicas, magno labo-
re quæsitas & inuentas, quam elegantissi-
mā potuerunt oratione, nobis tradiderunt;
nos ignaviā quadam & socordiā languescē-
res, quæ ab illis accepimus, deteriora tra-
ctando faciemus: illi partim philosophorū
cæcum impetum, partim hæreticorum infa-
niam rabiem copiosè loquentis sapientiæ
telis à sacris repulerunt: nos manibus va-
cuis & inermes, hostes religionis, eucrfores
sacrorum, prædones diuini iuris & humani,
omnia conuellere, dissipare, extinguere si-
nemus? magnopere verendum est ne ut il-
le ingentem ab hominibus laudem, & im-

S

mortale à Deo præmiū pro suo labore sunt, ac diligentia consecuti: sic nos pro nostra desidiā & ignominia notemur à posteris, & sempiternis à Deo pœnis viui, mortuique mactemur. Quare incumbite animis omnique voluntate, adolescentes optimi, ad eam facultatē, qua propria hominum dignitas, totius populi salus, veræ religionis defensio continetur. Dixi de ipsa eloquentia, quæ visa sunt, nunc de artificio eloquentiæ paucis absoluam, si me dicentem studium vestrum ad extremam orationem prosequitur. Nam quoniam non ex artificio nata est eloquentia, sed, ut omnes confitentur, artificium ipsa peperit, magnique auctores inter natu-ram, imitationem, & exercitationem, qui-bus videtur bene dicendi vis satis posse perfici; vix ullum præceptis reliquerunt & do-trinæ locum: posset aliquis quantumuis eloquentiæ studiosus, contentus illis tri-bus, artem despicere, quam ad orationis copiam vel inutilem prorsus vel minus ne-cessariam esse arbitraretur. Mihi verò mul-ta de arte legenti, multa cogitanti, longè aliter videri solet: sic enim statuo quamuis plus adiumenti sit ad dicendum in illis tri-bus, vel singulis, vel vniuersis sine arte, quam sine illis in præceptis omnibus, tamē perfectam eloquentiam & omnibus nume-ris

ris absolutam, non posse existere sine ratio-
ne quadam & confirmatione doctrinæ; ars
enim aut omnino tollit, aut corrigit vi-
tia naturæ: quod verò est in ea boni, id au-
get ac melius reddit: eadem in exercitatio-
ne & imitatione quid sequendum sit, quid
fugiendum; docet: ut nemo ne illa quidem
eloquentiæ præsidia sine præceptionibus ar-
tis possit habere perfecta: quanquam de imi-
tatione verius, dixisse, nullam omnino
posse esse sine doctrina: statu enim aut mo-
rum, aut animorum imitari alicuius, hoc nō
magnum est, illud præclarum imitando ma-
gnorum oratorum nervos, varietatē, copiā,
filum denique ipsum orationis expressisse,
hæc autem quis vñquā assequatur, nisi qui
corum & consilia inuestiget, & initia obser-
uet & progressiones notet, & exitus intuea-
tur: atque hæc obseruatio, quæ vel artificii
tota est, vel a natura profecta, gignit artem.
Quantum igitur ad eloquentiam adiumentū
affert natura, quantum imitatio, quantum
exercitatio, tantum artificio debemus, sine
quo illa aut omnino nulla sunt, aut perpolita
esse non possunt: atque hoc etiam for-
tasse plus arti debemus, quod illa inchoat,
hæc eloquentiam perfectè absoluat. Nam
causæ cur quidque fiat, aut non fiat, cur hoc
vitandum, illud persequendum: cur aliud

S 2

laudabile sit, aliud vitiosum: cui præter artificem nos & sunt? aut ubi nisi arte explicantur? qui verò nō tenet causas rerum eos multa facere necesse est non decorè, multa stultè, multa prope dicam flagitosè. Ut enim illi medici qui se empiricos esse profitentur, non cognitis morborum causis medicamentorumque natura, non possunt aptè ad cuiusque morbi vim variè commutare medendi rationem, & ea sæpe faciunt, quæ ad necandum potius quam ad sanandum valere videantur: sic qui non exhibent artem ducem & magistrum ad agendum, neque possunt pro causæ natura omnibus modis torquere ac reflectere dictionem suam, & multa sæpe committunt vel vitiosissima indicendo. Mihi quidem stomachum non nulli aliquando mouent, dum vel extenuat, quod amplificandum erat, vel quod exat diminuendum augent, vel quæ sunt contraria, maxime illustrant, vel aliqua similitudine semper exordiuntur orationem, (cum illa fugienda sit in primo aditu præterquam in certis quibusdam causis) qui non mediocrem fuisse dicendi gloriam adepti, si vel hoc unum vitium cognitum vitare voluisserint. Magna proorsus est hæc utilitas, adolescentes optimi, magnus fructus artis & doctrinæ; sed ille maior, quod facit ut ab eo,

quod

quodcumque nobis proposuerimus, minus aberremus. Etenim qui solis naturæ adiumentis propter consuetudinē benè quid dicunt, quoniam id temerè fortuitōque faciunt; nō quoties volunt, idem efficere possunt: at verò qui viam certam rationēmque sequuntur, nisi quid obstet extrinsecus, & quod volunt efficiunt, & quotiescumque volunt. Quid enim existimatis esse causæ, cur nonnulli oratores id facile semper assequantur, quocumque se mente ac voluntate coniecerunt? alij verò sæpè auditorum animos conati concitare vehementius, in medio cursu repente concidunt? sæpè, argumentationem artificiosè concludere volentes, inchoatam illam imperfectamque relinquunt? sæpè mirabilius aggressi locum aliquem ornare, consilio ac ratione subito deficiantur? sæpè pro amore odium; pro miseratione risum commueant, inuidiam pro misericordia? nimirum illi boni artifices omnes dicendi vias & aditus pernoverunt: hi tametsi benè aliquando forte dicunt; tamen artis ignorantia, id paratum habere non possunt: ut empirici nō perpetuò appositè curant ad sanandum, quia dum medicinam spernunt, certi nihil habent, quod sequantur. Quapropter nemo rhetoricum artificium contemne

nat, nemo reprehendat, nemo se eloquētiā habere velle dicat, oratoria præcepta nolle cognoscere: cum sine his nullius oratio pos sit esse perfecta, nemo queat in locum principum oratorum peruenire. Restat id quod in nostra partitione fuit extreūm, ut de arte tradenda & discenda pauca dicamus. Tradendi ratione omnia præceptoris officia, auditoris verò munera discendi modè continentur; quæ non conabor vniuersa complecti oratione, quod esset infinitum, sed ea tantum quæ magis necessaria viden tur, breuiter commonebo. Primum igitur ut in cæteris artibus, sic etiam in Rhetorica docenda spectandus est ordo: ac de ordine quidem tradendarum artium multa ex Platoniorum sententiâ, multa ex antiqua Stoïcorum disciplina, multa ex Peripateticorum decretis hoc loco dici possent: verum ut rem longè latèque patentem, modicis definiam angustisque regionibus; dico, post Grammaticam & Dialecticam, tum tertio loco Rhetoricam tradi oportere: primus enim est naturalis usus sermonis quæ Græmatica instituit, eum proximè sequitur usus rationis, quem Dialectica confirmat, postremus est naturalis usus eloquētiæ, qui præceptis rhetoriciis perpolitur: siquidem pueri, primum loqui incipiunt; deinde progre diente

diente & tate rationem adhibent iudicem ad
vnamquamque rem examinandam, suóque
momento pōderandam: tum ad extremum
quę cogitarunt, verbis ac sententiis magni-
ficētiūs aggrediuntur ornare: illud omitto,
Dialecticam omnium artium comitem &
administrat̄, omnibus aliis antecedere de-
bere; excepta vna arte sermonis: prætereo
illud quoque, rhetoricam inventionem, &
singulorum argumentorum dispositionem,
cūm sint magna ex parte propriæ Dialecti-
corum, eius artis ignaris recte tradi non
posse: quæ si persequi dicendo velim, facile
ostendam priùs differendi præceptis infor-
mandam esse iuuentutem, quam oratoris
artibus instruatur. Ego verò, vt de me ipse
confitear; non Dialectica solūm, sed etiam
vniuersa Philosophia pertractata, tunc de-
mum ad ea cognoscenda me contuli, quæ
pertinent ad bene dicendum, non asperna-
tus rhetorum vocem, licet aures iam effent
sapientissimorum hominum disputationi-
bus assuetæ. Quòd si mihi vni qua ratione
vellem, omnes artes auditoribus meis tra-
dere liceret, non alium ordinem sanè, quam
quem exposui, sequerer ia docēdo: sed quo-
niam aliud ab alio discendum est, & ad rhe-
toricas exercitationes cogimur omnes ac-
cipere sine delectu, qui iam aliquando loqui

didicerunt, dabo operam, ut quæ à Dialecticis petenda sunt; neque omnino prætermittam, neque tam copiosè explicē, quām illi solent: ita fiet, ut & tantum intelligent auditores quātum sit satis ad id, quod queritur, & unaquaque disputatio integrum suum in locum, & tempus reseruetur. Si qui tamen adsunt iam imbuti Dialecticis, qualem arbitror adesse non neminem, iij sperent multò se maiores uno anno processus effecturos, quām anteà multis effecissent: illa porrò à magistro huius artis, requiruntur, ne multa cuiusque generis vtilia, inutilia congerat in unum locum, sed delectum habeat; vtilia retineat, illa repudiet, quæ nihil, aut parum profutura videantur: ne in alienis refutandis diutiū commoretur, ne minutis ac spinosis disputationibus ingenia discipulorum attenuet, ut egregium aliquem oratorem proponat ad imitandum & in eo quæ maximè excellant, sedulò demonstret; ut eos crebris exercitationibus ad omnem dicendi copiam, varietatem, grauitatemque traducat: exercitationes autem sint principio minores, quotidianoque sermoni proximæ; deinde quanta ad facultatem adolescentium, rata ad exercitationum magnitudinem fiet accessio: hæc omnia recipio pro mea virili parte,

parte, si minus diligenter, at non negligenter tamen esse facturum. Auditorum autem officia partim cum doctoris officiis coniuncta sunt, quæ, quoniam ex illis sine mea oratione ipsa per se intelliguntur, non attingantur; partim propria ipsorum ea mihi videntur esse, primùm ut magistrum differentem diligenter audiant; deinde si quid non bene intellexerint, ut interrogent, tum ut omnia iam animo percepta, & cognita memoriâ comprehendant; postremò, ut in exercitationibus quotidianis omnia sibi summa proponant, ut ea vel mediocria consequantur: neque magnopere laborent, quām multum aut quām citò dixerint, vel scripserint, sed quām bene, hoc est, quām variè quām numerosè, quām abundantiter, quā illuminatè, & rebus & verbis. Quā obrem cùm & eloqēntia sit tam necessaria, ut nequeat sine dedecore contemni, & ad eam comparandā magnum quoddam præsidium sit positum in doctrina; & magistrum habeatis (et si magister vobis numquam defuit, qui vos hoc ipsum, quod ego moneo commoueret) sed cùm magistrum habeatis & doctorem, si minus eruditum, at certè non indiligētem, qui se promittat, numquam officio, neque suo, neque vestro defuturum; & quid illi, quid vobis agente,

S S

dum sit, nō ignoretis: dubitabis, adolescentes optimi, hanc tantam, & tam præclarā artem, eloquentissimorum hominum ingeniis olim inuentam, summorum postea philosophorum disputationibus amplificatam, nostra memoria eruditissimorum hominum studiis vehementer illustratam, ad extirpandam impietatem, ad ornandam religionem, ad Christianam rem publicam dubiis formidolosisque temporibus tuerandam, conseruandā inque conferre? si vobis in extremam Italiā, Galliam, Hispaniam, si in ultimas Iudeæ oras eius descendæ caussa proficendum esset tantum itineris, laboris, molestiæ, periculi subire debetis, ne tanto vel ornamento ad rem publicam Christianam decorandam, vel ad defendendam præsidio caruisse videremini: nunc verò cum non in Italia modò, sed etiam in vrbe, ac penè domi vestræ discere possitis, & in omni genere orationis exerceri, quid expectatis? quid cunctamini? an ipsam & audiendi, & scribendi, & declamandi molestiam pertimescitis? plus ne igitur apud impios, plus apud sceleratos homines nocendi voluntas, quam apud vos, alios iuuandi studium valebit? illi ut in errorem inducant quamplurimos, vigilant, sudant, laborant, contendunt, non

rei

rei familiari parcunt, non corpori, nullam partem capiunt quietis, omnes rhetorum libros peruvolutant, omnia veterum oratorum scripta perlegunt, & eorum quam simillimi esse conantur: vos, ut errore libertis multos mortales, ut vestros ciues è tantis malis conserueris, si minus maiorem, at parem certè curam non suscipietis? illi ut multitūdinem agant furore & amentia præcipitem, antiqua & religiosa tempa violent, sacras imagines disturbent, altaria demoliantur, ornatissimas cruces in publicis viis maiorum pietate collocatas, comminuant, sanctissimas cærimonias sacrorum ex hominum memoria deleant & extinguant, nihil est, quod non aggrediantur & efficiant: vos ut tantam & tam profligatam audaciam à templis, ab imaginibus Sanctorum, ab altaribus, à sacris repellere possitis, non omnes & corporis & animi nervos contendetis? an quod pulsa foro iam eloquenia est, id vos forte remoratur? atqui senatui præest, moderatur doctorum hominum conuentus, dominatur in concionibus populi, sacra concilia continet, & regit, ad constituendam religionem cōuocata: an timetis ne sit tenuis & inops ad quæstum faciendum? non est hominis quæstus magis, quam hominū charitate cōmoueri.

Valeat

olescen-
præcla-
minum
im po-
ampli-
norum
ratam,
andam
blicam
tuen-
si vo-
Hispa-
liscen-
m iti-
re de-
empu-
el ad
emini:
, sed
disce-
tionis
tami-
di, &
plus
scele-
quam
it? illi
os, vi-
, non
rei

Valeat igitur, auditores optimi, valeat apud vos bonorum exēplum, valeat maiōrū auctoritatis, valeat cōmunis hominum dignitas, valeat respublica, valeat religio, cui si in hisce tantis, & tam cæcis errorum nubibus & procellis, sapientis & ornatæ orationis facem prætuleritis ad aliorum salutem conseruandam, immortalia vobis à Deo præmia operæ laborisque vestri tum viuis, tum mortuis persoluentur. Hæc habui, adolescentes optimi quæ hodierno die dicerem; cætera, quæ ad explanationem. Ciceronis attinent, vestrâ bonâ venia in proximam lucem differemus.

PETRI IOANNIS PERPINIANI.

De perfecta Doctoris Christiani forma.

ORATIO VII.

Nescio quo pacto sit, patres amplissimi, ut ubi me quām pudentissimum esse oporteret, ibi vix ullam pristinæ verecundiæ meæ partem retinere possim: nam cùm in hac vrbe principe orbis terræ, vel vnūverbum facere peregrinum hominem summæ sit impudentiæ; me ab ultimis terrarum partibus